





1676.

1. Beckmann, Joh. Volk; Fac. jur. decanus: et Disp. Latio nem inang. Johanni Casp. Ludovigeri in lita
2. Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod circa equos publice privatimque justum est.
3. Beckmann, Joh. Volk: De beneficiis competentiae.
4. Beckmann, Joh. Volk: De elevatione oneris probandi ex praesumptionibus instantibus.
5. Beckmann, Joh. Volk: De obligatione impuberis.
6. Beckmann, Joh. Volk: De probatione instrumentali.
7. Beckmann, Joh. Volk: De legitima matris et aviae Tutela.
8. Beyerus, Adrianus: De dissimulatione occisionum l. 14 ff. de offic. praesid. et affines Tam Juris Canon. quam civil. textuum.
9. Beyerus, Adrianus: De liti contestatione
10. Freuer, Joh. Christoph: De juramento necessario

1676.

11. Fascinus, Augustinus Henricus: De myrrha.

12.^{a, b} Lynckerus, Nic. Christ.: De compromisso.

2 Exempl. 1745 & 1752.

13. Robb, Henricus Backhaus: De occisore sui
puni.

14. Robbins, Henricus Backhaus: De jure praeci-
pui

15. Schiller, Johann: Tura peregrinorum.

16.^{a, b, c} Simon, Johann Georg: De actionibus inju-
riarum sacerdotum concernentibus. 3 Exempl.

1676 & 1739.

17. Simon, Joh. Georg: De portuiniis.

18. Simon, Joh. Georg: Hugonis Tractatus de jure
belli ac pacis lib. II Cap. I de obligatione, quae
ex dominio oritur.

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint handwritten notes or fragments along the left edge of the page]





1676, 1

532

3.

JOHANN. VOLK.

Bechmann / ICtus

& Collegii Juridici h. t.

VII^{mum} DECANUS.

L. S. D.

Typis WERTHERIANIS.

*de circumventionem in Emptione
venditione*



Lericorum quorundam *emtionēs* sunt
sublestæ fidei juxta can. XXXV. Synodi
Carthaginensis ibi ὁμοίως ἤρουν, ἵνα ἐπίσκο-
ποι, πρεσβύτεροι, Διάκονοι, ἢ καὶ οἰαδήποτε κλη-
ρικοί, οἱ μηδὲν ἔχοντες εἰς ἀποκόψαντες τῶν
καιρῶν τῆς ἐπίσκοπῆς, ἢ τῆς κληρώσεως αὐτῶν,
ἀγροῖς ἢ οἰαδήποτε χωρῆα ἐπ' ὀνόματι αὐτῶν ἀγώρουν, ἵνα ὡς
καὶ δεσποτικῶν πραγμάτων ἔφοδον πεποιηκότες, ἐνέχωνται. εἰ μὴ
ἀρα λιπὸν ὑπομνηθέντες, τῇ ἐκκλησίᾳ ταῦτα εἰς κομίσωσιν.
Theodor. Balsam. in Schol. d. c. hoc extendit etiam ad res
mobiles in verb. ἐρωτήσῃ τις εἰς τὸ αὐτὸ ὀφείλῃ κρατεῖν καὶ ἐπὶ τῶν
κινήτων. καὶ οἶμαι ὅτι τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῆς γένεσιν. *Causam*
à suis principiis haut difficulter arcesserem, si esset è
re hâc. vid. d. Balsam. in Photii Tit. ad Ad. Eccles. cap.
5. in verb. ὅτι τὰ μετὰ τὴν χειροτονίαν κτηθέντα τοῖς ἐπίσκοποις,
ταῖς αὐτῶν ἐκκλησίαις Διάφερῃ. Alia etiam *Cryptologia* in
emtionibus venditionibus improbata fuit Ciceroni *de*
Offic. Lib. III. pag. m. 526. lit. c. & d. ibi. Non igitur videtur
nec frumentarius ille Rhodius, nec hic ædium venditor
celare emtores debuisse. Neque enim id est *celare*, quic-
quid reticeas. Sed cum, quod tu scias, id ignorare,
emolumentum tui causâ velis eos, quorum interfit, id sci-
re. Hoc autem *celandi* genus quale sit, & cujus hominis,
quis non videt? certè non aperti, non simplicis, non
ingenui, non justis, non viri boni: versuti potius, obscu-
ri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri, hæc
tot & alia plura nunc inutile est vitiorum subire nomina,
ubi etiam subjicitur elegans exemplum *Caji Canii* Equi-
tis Romani, hominis nec infaceti & satis literati, quod
utpote prolixius non libuit huc transferre. Sed hunc
locum Ciceronis acciperes saltim de iis quæ rem per se

con-

contingunt v. c. si ædes sint pestilentes & habeantur salubres sicut ex antecedentibus verbis *Cic. colligeres. ibi vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse novit, cæteri ignorent.* Alias in pretio emptionis & venditionis *naturaliter* licet contrahentibus se circumvenire, sicut refert ex Pomponio Ulpianus in *l. in cause 16. §. idem 4. π. de Minor.* Ne tamen circumventio esset licentiosior, *limites* positi sunt. Apud Judæos videtur *sexta pars pretii* definita fuisse; Ita habet Seldenus *de J. N. & G. J. D. E. lib. 6. c. 5. ibi.* Hinc ajunt ex more majorum atque legis interpretatione receptissima regulariter inolevisse, ut, si quis Judæus Judæo מטלטלין seu *bona immobilia* (nam agri & ædes ad leges redemptionis sacras attinere) utrinque bonâ fide vendiderat pretio, vero rei valore *sexta* parte, majori, seu pretio tanto minori emerat, pars illa *sexta* ei, cui inde damnum sic illatum, esset refundenda. Non verò quicquam omninò, si *sexta* parte minus discrimen esset. Atqui si *sexta* discrimen majus esset, licuisse emtori statim seu quamdiu nondum finita esset negotiatio, contractum rescindere & redhibitoriâ pretium sibi integrum vindicare. In Codice *Theodosiano* nihil hâc de re dispositum invenio. Et imò venditio, propter pretii vilioris querelam non debet rescindi, sicut Imp. Constantinus rescripsit *Profuturo P. F. Annonæ*, idem etiam sensere Imppp. Grat. Valent. & Theod. A. A. A. in *l. 4. §. l. 7. C. d. C. E.* In Codice *Justinian.* læsio *infra* dimidiam partem (*veri*) justii pretii est permessa *l. 2. de R. V.* de cujus justitia vel injustitiâ in *Foro anima* disputant *Moralistæ* ac etiam alio die à nobis actum fuit. Hæc *L. 2.* uti patet legenti ab Impp. constituta fuit in casu, quo venditor erat læsus, an idem juris in emtore?

Cu-

Cujacius, ejusque Auditor Emundus Merillius Antecessor Bitur. acriter negant, quorum rationes *b. t.* exputare non vacat. Licet autem *d. l. 2.* tantum agat *de emt. venditione*, attamen etiam producta est ad permutationem. Videtur autem *Symmachus* ad justitiam similis causæ etiam provocasse *lib. 4. Epist. 69. ad Insign. PP. Italia. ibi.* Ante paucissimos menses ille à parente mea horrea Aquileiensi & C. F. propter longinquitatem itineris incognita, *tenui mercede conduxit*, atque ita abusus est, ut parvo licet tempore iisdem locis labem consultò intulisse dicatur: Hunc ubi sæpe convenit, ut conductione decederet, contemptû hominis & interventû quorundam frequenter elusa est. Nunc opis indiga, geminum beneficium vestri favoris exoptat; primo ut improbissimus inquilinus locorum intentione pellatur, deinde habitâ deterioratæ rei æstimatione sumptum justæ instaurationis agnoscat: Imò *d. l.* habet locum in omnibus negotiis, in quibus alter alterum enormiter lædit *Jacobus Mastertius Tract. Illustr. Jur. Mater. ad b. l. p. 488.* ibique dicit, quemadmodum & mores nostri *extensionem* illam admittunt *Grotius Introd. Lib. 3. part. ult.* Et cum *d. l. 2. jungi debet l. si voluntate 8. C. d. t. Tredecim* sunt Leges Diocletiani & Maxim. in illo Titulo, & tamen in nulla, nisi in *l. 8.* est subscriptio, quæ tamen ut vides, hiat. Ex *d. l.* non tantum *l. 2.* potest consolidari sed etiam explicari. In *d. l. 8.* perpetua quasi Cynosura constituitur, ut in omnibus his actionibus attendatur *tempus venditionis*, & quod hæc sententia hodiè in Foro nostro etiam obtineat, non nisi ignarissimus ignorat. Sicut homines emaces, omnia quæ possunt, coëmunt, quos tamen ridet *Martialis* in *Epigrammate*, quod *rariori exemplo* absolvit *unico Versû hõc* Omnia

Omnia, Castor, *emis*, sic fiet, ut omnia *vendas*.

Ita etiam quidam Juris Interpretes se gessere in *Analyfi d. l. 2.* ut copiosâ rerum ubertate inopes facti fuerint, dum omnia cum pulvisculo converrunt. Verùm nolim *frondes addere sylvis*. *Analyfin* famosissimæ *d. l. 2.* Clarissimo DN. JOHANNI CASPARO *Ludewigern* / *Supremorum Juris Honorum Candidato dignissimo* relinquimus, qui eam in suis solennibus *Commentationibus* plenius enodabit. Nos more apud nos perpetuô *Historiam* ejus vitæ *laudabiliter* actæ subjiciemus. Natus est Candidatus noster Anno M. DC. LIII. *Halle* Saxonum Oppido, non tantum propter *Archiepiscopalem* sedem, sed & uberrimos *Salinarum* proventus illustri. Patrem habet Virum generis ac virtutis nobilitate maximè conspicuum DN. LUDOVICUM ERASMUM *Ludewigern* / *Hereditarium* in *Zschorta* / *Schepkau* & *Reiden* / *Salinatorem* primarium; Matrem CAI HARINAM, matronam pietate, omnique sui sexus virtute ornatissimam, ex celebri HEKERIANORUM apud *Hamburgenses* familiâ oriundam. Ab his parentibus, in hunc usque diem per Dei gratiam superstibus, nil curiosius tractatum, quam ut filius eorum, tum verâ erga Deum pietate, cum literarum humaniorum peritia imbueretur; Hunc finem ut feliciter obtinerent, puerum adhuc Scholæ patriæ *Rectoribus* commisere, eorumque fidei ac informationi ætatem teneram credidere. Pubertati propior, missus est *Berolinum*, ut ex domestica Viri Magnifici atque *Consultissimi* DN. ADAMI PREUNELII, *Consilarii* Electoris Brandenburgici eminentissimi consuetudine ac instituto iis, quæ civiliore vitæ utilia forent, maturè adsuesceret, tum ut celeberrimorum istius *Gymnasii* moderatorum,
do-

doctrinâ frueretur. Res optimè successit, siquidem cupidè sectatus est lectiones publicas ac privatas virorum eruditionis splendore informandique dexteritate Præclarissimorum DN. M. WEBERI, Rectoris, & DN. M. SAMUELIS ROSII, Sub-Rectoris. Ex horum fidelissima institutione tam laudabiliter profecit, ut dignus censeretur majores literarum mercatus, nempe Academias visitandi. Relicto igitur hõc Gymnasio, Francofurtensem ad Oderam celeberrimam Academiam adiit, & ibi albo studiosorum inscriptus fuit. Themidis nostræ adiurus limina, viam per suavissimas Philosophiæ semitas præmunivit, & quasi manu ducentes, Viros Excellentissimos DN.D. JOHANNEM CHRISTOPHORUM BECKMANNUM, & DN. ISAACUM SCHOCKIUM, Professores in prælaudatâ Academia Public. celebratissimos curiosè seqvutus fuit; sic præparatum ingenium demum Jurisprudentiæ applicuit. Nec defuerunt ipsi in laudabili hoc instituto Antecessores, quorum vestigia premeret. Inter hos laudari maximè vult Viros Nobilissimos, Excellentissimos atque Consultissimos DN. JOHANNEM FRIDERICUM RHETIUM, DN. SAMUELEM STRYKIUM, DN. SCHULZIUM, J.Ctos ac Professores famigeratissimos, quos publicè, privatimque docentes sedulò auscultavit. Non parùm etiam tribuit Viri Consultiss. DN. TILEMANNI, J.U.Lic. dignissimi informationi: Sub quo non tantùm Institutiones, & Jurisprudentiam à Magnifico DN. STRUVIO, Consiliario Saxon. intimo & nostri Collegii Ordinario editam sed etiam Pandectas, cum Novellis, imò feudalìa ac publica jura audivit. Hæc verò agenti integrum *quadriennium*, quo in laudatâ Academia vitam degit, elapsam est. Deinde *Lipsiam* celeberr-

berrimum illud Lyceum adiit, ibique præeuntibus Antecessoribus & Jctis Nobilissimis, DN. PAULO FRANCISCO ROMANO, jam piè defuncto, & DN. HENRICO BORNIO, Collegia lectoria pariter ac disputatoria studiosè frequentavit, inque Juris cursû non pœnitendos fecit profectus. Anno præterito M. DC. LXXV. nostram *Salanam* concessit, famigeratissimorum Juris Antecessorum Lectionibus publicis interfuit, insuper etiam *Scholas* privatorum Doctorum visitavit, & juris doctrinam quasi ruminatus est, *postea* urgentem ob causam domum revocatus fuit. Præclare dicit Cicero Orat. pro P. Sextio *non procul à fine*. Posteritati & gloriæ serviamus, id esse optimum putemus quod erit rectissimum; Speremus quæ volumus, sed quod acciderit, feramus, cogitemus denique, corpus virorum fortium, magnorumque hominum esse mortale, animi verò motus & virtutis gloriam sempiternam. Et cum vix inveniatur, qui laboribus susceptis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam

τί τὸ κάλλιον ἀνδρῶν ἐστὶ
ὀλβίω, ἢ κλέει ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἀρεῖσθαι.
censet Theocritus Id. XVII. *sub finem*.

Ideò etiam tot gloriosis laboribus insigni cum laude superatis excitatus Candidatus noster studio Juridico colophonem impositurus ante paucos dies huc rediit, & jussu venerandi sui patris elegit nostram Academiam, in quâ summarum juris dignitatum meritis suis potiretur. Sicut *μυστηριώδη* nostra requirunt, se decenter gesit, & literario affatû desiderium suum nobis exposuit. Designatores diem diximus, illique more solito textus transmisimus. Et cum hos doctè enodaret, & nobis suam in Utroque
Jure

Jure eruditionem aptè respondendo sufficienter probaret, ab inclutâ nostra Facultate unanimiter conclusum fuit, ut illi jure merito fores panderentur publicæ *δοκιμασίας*. Cras D. V. Commentationes suas solennes in *d. l. 2.* horâ X. auspicabitur, ut his Magnificus DN. Rector, Academiae Proceres, omnesque qui *Gratis* litarunt, benevolè intersint, Collegi nostri Orator etiam atque etiam rogo. P. P. Jenæ XXIV. Sept. clō Ibc LXXVI.

Jena Diss., 1676 F-55


Sb


ULB Halle 3
004 989 155



VD17







1676,1

3.

532

JOHANN.VOLK.

Bechmann / IC^{tus}

& Collegii Juridici h. t.

VII^{mum} DECANUS.

L. S. D.

Typis WERTHERIANIS.

*de circumventionem in emptione
venditione*

